

INTRODUCTIO

I. De Achilli Ratti nuntio eiusque operis sociis.

"Raptim transit" - haec verba, quae archiepiscopus Achilles Ratti, postea summus pontifex Pius XI, in insigni suo episcopali posita voluit, haud dubie cum cognomine suo, Ratti, quodammodo conectuntur, sed praesertim brevissimum videntur esse commentarium ad actionem eius et operam, publicam et pastorem, in ministeriis Ecclesiae insumptam. Nam vir doctus, munere praefecti Bibliothecae Vaticanae fungens, de improvviso a libris suis et codicibus manu scriptis amovetur et, 61 annos natus, cum titulo visitoris apostolici Varsaviam mittitur. Elapso uno post adventum in Poloniam anno, nominatur nuntius apostolicus in Republica Polona simulque ornatur dignitate archiepiscopi titularis Naupactensis. Post biennium inde subsecutum, iam cardinalis creatus, consequitur gubernaculum archidioecesis Mediolanensis et, aliquot mensibus post, ad summi pontificatus fastigium evehitur.

Quis ergo fuit ille visitor apostolicus, qui a. 1918 Varsaviam venit, deinde vero primus Sedis Apostolicae nuntius in Polonia, post diuturnam servitutem tandem liberata et ad vitam revocata, nominatus est? Natus erat 31 die Maii a. 1857 in familia Francisci (1823-1881) et Theresiae Galli (1830-1918), qui tum in oppidulo Lombardiae Desio, in regione inferioris Brentiae (Brianza), habitabant¹. Iam postridie infans in ecclesia parochiali eiusdem loci baptizatus est et nomina accepit Ambrosii, Damiani, Achillis. Parentes eius inter non nimis opulentos Desii incolas numerabantur. Pater erat praepositus filificii fratrum Conti de Pusiano, in quo fila serica conficiebantur, mater autem in gubernandam domum et educandos quinque liberos incumberebat². Ambo laboriosi et frugales, opulentiam quidem filiis dare non potuerunt, sed modis omnibus eos adiuvare conati sunt, ut bonam educationem et doctrinam consequi possent. Itaque Achil-

¹ De vita et opera Achillis Ratti, postea papae Pii XI, permulti libri scripti sunt. De operibus usque ad a. 1939 publicatis nos edocet G. Galbiati, *Papa Pio XI*, (Milano 1939), p. 345-357 - *Le biografie di Pio XI*. Vide etiam G. Fumagalli, *Achille Ratti. Profilo*, Roma 1925. Ex operibus recentiore tempore editis imprimis nominandum est opus a pluribus auctoribus conscriptum, quod inscribitur: *Pio XI nel trentesimo della morte (1939-1969). Raccolta di studi e di memorie*, a cura dell'Ufficio Studi Arcivescovile di Milano, (Milano 1969), et i.a. continet amplam bibliographiam ab A. Rimoldi concinnatam: *Bibliografia* (p. 5-19). Quod attinet ad spatium temporis in vita Achillis Ratti, de quo hic loquimur (1857-1922), maximi certo momenti est opus A. Novelli, *Pio XI (Achille Ratti) 1857-1922*, Milano [1923], quod posterioribus eius vitae descriptionum auctoribus fons et fundamentum fuit.

² Fratres Achillis fuerunt: Carolus (1853-1906), Firmus (1854-1926), Eduardus (1855-1906); soror Camilla.

les rudimenta litterarum in schola elementaria primum Desii, deinde in oppidulo Asso, didicit, anno autem 1867, suasore patruo, sacerdote Damiano Ratti (1820-1891), paracho in Asso, eruditionem scholasticam Sevesi in gymnasio archiepiscopali s. Petri Martyris continuabat (1867-1872), quam deinde (1872-1874) Mondiciae (Monza) in lyceo archiepiscopali perfecit et Mediolani in lyceo Iosephi Parini tandem absolvit, ubi a. 1875 examen maturitatis feliciter sustinuit. Eodem anno in Seminario Archiepiscopali Mediolanensi studia philosophiae et theologiae incepit. Eius eximia ingenii facultas et mira quaedam ad studia inclinatio superiores suos non latuerunt. A. 1878, accepto sacro diaconatus ordine, missus est Romam, ut ibi in seminario Lombardo studia pergeret perficeretque. Romae etiam, die 20 Decembris a. 1879, in basilica Lateranensi divo Ioanni dicata sacerdotio est auctus. Primam missam celebravit die 21 Decembris in ecclesia Sancto Carolo Borromaeo sacra, vulgo "San Carlo al Corso" appellata³. Studia absolvit a. 1882, triplicem doctoratus gradum adipiscendo: s. theologiae (in Universitate studiorum Romana "la Sapienza" nuncupata), iuris canonici (in Pontificia Universitate Gregoriana), philosophiae (in Academia s. Thomae Aquinatis).

Postquam, novellus sacerdos, in archidioecesim Mediolanensem reverterat, per tres menses functus est munere administratoris parvae parociae sanctorum Petri et Pauli in oppidulo Barni, initio autem anni academici in Seminario clericorum Mediolanensi sacram eloquentiam et theologiam dogmaticam docere coepit. Praeter acroases in seminario faciendas munus ei commissum est cappellani Sororum Nostrae Dominae de Cenaculo, quo usque ad a. 1914 functus est. Vestigiis insistens s. Ioannis Bosco, celeberrimi illius iuvenum educatoris, quem a. 1883 Augustae Taurinorum in oratorio Salesiano "in Valdocco" coram cognovit, pro viribus et facultatibus suis pauperes et derelictos pueros, vulgo "spazzacamini" nuncupatos (id est detergendis caminis addictos), curare conabatur, eos penes ecclesiam Cenaculi congregando, ubi regularem doctrinae christianae institutionem pueris et iuvenibus tradendam incohavit, condito etiam propterea "Sodalicio magistrarum catholicarum". Ab a. 1884 praeerat sodalicio Mediolanensi "Societatis iuvenum sacerdotum", seminariorum Lombardiae olim alumnorum, qui sibi proposuerunt consilia et doctrinas Ecclesiae hostiles confutare.

A. 1888, aetate 31 annorum, Collegio Doctorum Bibliothecae Ambrosianae cooptatus est, anno autem 1907 eiusdem Bibliothecae praefectus est nominatus. Quo munere fungens non solum se peritum et sagacem bibliothecarium, subtilem atque accuratum codicum manu scriptorum exploratorem et studiosum praebuit, sed etiam ingeniosum et sollertem rerum

³ Quartam missam die 24 Decembris celebravit in ecclesia s. Andreae in Quirinali, penes reliquias s. Stanislai Kostka. Cfr. Novelli, p. 35.

ordinatorem se esse ostendit. Huiusmodi ergo ingenii dotibus adductus, summus pontifex Pius X⁴ a. 1912 munus vicepraefecti Bibliothecae Vaticanae ei demandavit. Biennio post, posteaquam Franciscus Ehrle SJ⁵ muneri suo renuntiaverat, Ratti praefectus Bibliothecae Vaticanae nominatur.

Studia et investigationes Achillis Ratti, praeter prima opera de variis sismologiae et theologiae dogmaticae argumentis conscripta⁶, circa historiam ecclesiasticam Lombardiae et excellentiores illius regionis homines versabantur. Incumbebat etiam diligenter in explorandam locupletem historiam monasteriorum Cisterciensium in Lombardia⁷, in cognoscendam institutionem et ordinationem bibliothecarum⁸, sed imprimis edendis et vulgandis scriptis historiae monumentis seu fontibus operam navabat. Hac in parte inter maximi momenti eius opera haud dubie nominanda sunt a. 1890-1897 publicata *Acta Ecclesiae Mediolanensis*⁹ et *Missale Ambrosianum* a. 1913 editum¹⁰. Apparare etiam incepit editionem, cui titulus *Liber Diurnus Romanorum Pontificum* esse debebat, et fundamentum editionis erat codex e IX saeculo proveniens, in Bibliotheca Ambrosiana aservatus¹¹. A. 1896 paravit et publicavit studium *La Chiesa Ambrosiana* inscriptum¹², in quo describuntur et explanantur controversae quaestiones

⁴ Iosephus Melchior Sarto (1835-1914), inde a 4 VIII 1903 papa. A. 1954 in sanctorum numerum relatus.

⁵ Franciscus Ehrle SJ (1845-1934), eximius medii aevi studiosus. A. 1861 Societatem Iesu ingressus est, ubi a. 1876 ordinem presbyteratus suscepit. A. 1895-1914 praefectus Bibliothecae Vaticanae. Ab a. 1919 docebat palaeographiam in Istituto Biblico et historiam scholasticae in Universitate studiorum Gregoriana Romae. A. 1922 cardinalis creatus. Cfr. Stegmüller, LThK III, 719.

⁶ Accuratissimum indicem operum Achillis Ratti, cum addita diligenti descriptione bibliographica uniuscuiusque operis, proposuit G. Galbiati, op. cit., p. 255-357 - *Bio-bibliografia di Achille Ratti dal 1857 al 1932*.

⁷ Vide ex. gr.: *Il secolo XVI nell'Abbazia di Chiaravalle di Milano. Notizia di due altri codici manoscritti chiaravallese*, "Archivio Storico Lombardo", serie III, 5 (1896), p. 91-161.

⁸ Vide ex. gr. *Le ultime vicende della Biblioteca e dell'Archivio di S. Colombano di Bobbio*, Milano 1901, pp. 43; *Guida sommaria per il visitatore della Biblioteca Ambrosiana e delle collezioni annesse*, Milano 1907, pp. 160.

⁹ *Acta Ecclesiae Mediolanensis ab eius initiis usque ad nostram aetatem*, Opera et studio Presb. Achillis Ratti, vol. 2-4, Mediolani 1890-1897, col. 12 + pp. XIX + col. 1972 (vol 2), col. 1630 (vol. 3), col. 1776 (vol 4). Vol. IV apparuit cum addito titulo: *Acta Ecclesiae Mediolanensis a S. Caroli Borromaei successoribus condita nunc primum in unum collecta et edita*. Vol. I totius operis, quod inscribi debebat: *Acta Ecclesiae Mediolanensis a S. Carolo condita*, non est ad finem adductum.

¹⁰ *Missale Ambrosianum Duplex (Proprium de Tempore) editionum Puteoboellianae et Typicae (1751-1902)*, cum critico commentario continuo ex manuscriptis schedis A. M. Ceriani ediderunt A. Ratti Bibl. Ambr. Praefectus, M. Magistretti Can. Ord. Eccl. Mediol., Mediolani 1913, pp. XXIV+475.

¹¹ Opus hoc, licet iam paratum fuerit, ut typis exscribendum curaretur, non est publicatum. Cfr. Galbiati, p. 264-265. Ex aliis laboribus Achillis Ratti ad fontium editionem pertinentibus vide ex. gr.: *Una lettera autografa della Morosina a Pietro Bembo*, "Giornale storico della letteratura italiana", 40 (1902), p. 335-342; *Quarantadue lettere originali di Pio II relative alla guerra per la successione nel reame di Napoli (1460-1463)*, in: *Roma e la Lombardia*, Milano 1903, p. 75-107; *Bolla originale di Ariberto arcivescovo di Milano (1040) di fresco ricuperata*, Archivio Storico Lombardo, 1904 serie IV, vol 1, p. 334-339;

¹² *La Chiesa Ambrosiana*, in: *Conferenze di storia milanese, tenute per cura del Circolo Filologico Milanese nel marzo-aprile 1896 da F. Bertolini e altri*, Milano 1897, p. 75-216.

ad historiam Ecclesiae Mediolanensis pertinentes. Multum operae et laboris insumpsit in pervestigandis vita et operibus s. Caroli Borromaei. Huiusmodi investigationum suarum fructus publicabat in commentariis, "San Carlo Borromeo nel terzo centenario della canonizzazione MDCX-MCMX" inscriptis, quos ipse a. 1908-1910 edebat et moderabatur. In copiosissimo eius operum patrimonio inveniuntur etiam permultae librorum recensione et commentationes de fontibus historicis scriptae, quas i.a. in commentariis "Rendiconti del Reale Istituto Lombardo di scienze e lettere" et in "Archivio Storico Lombardo" publici iuris facere solebat. Maior earum pars iterum publicata est in libro *Scritti storici* inscripto¹³.

Eius docta sedulitas in eo etiam manifestabatur, quod variis doctorum sessionibus et conventibus naviter et assidue interesse consuevit¹⁴ et multa faciebat itinera, per Italiam et in exterarum regiones, ad pervestiganda tabularia et bibliothecas suscepta¹⁵; strenue etiam variarum virorum doctorum societatum et sodaliorum laboribus intererat. Summo tamen studio et diligentia incumbere in labores Regii Instituti Lombardi scientiarum et litterarum promovendis, cuius a mense Iulio a. 1895 fuit socius epistularius, ab a. 1901 socius effectivus, ab a. 1906 socius stabilis et assiduus ("membro pensionato"), denique ab a. 1914 socius effectivus extra sedem ("non residens"). Mense Decembri a. 1895 nomen dedit Societati Historiae Lombardae, in qua a. 1901-1913 fungebatur munere consilarii, a. 1913-1915 vices gerebat praesidis, deinde delegatus societatis apud Institutum Historicum Italicum nominatus est. Posteaquam a. 1922 ad Petri cathedram vocatus erat, omnia illa doctorum sodalicia titulum socii honorarii ei tribuerunt. Praeterea inde a mense Novembri a. 1897 erat membrum Pontificiae Academiae s. Thomae Aquinatis Romanae, mense autem Decembri a. 1897 admissus est inter socios Societatis Bibliographicae Italicae et m. Aprili nominatus est socius effectivus Regiae Deputationis Historiae Patriae provinciarum antiquarum et Lombardiae. A. 1909 adeptus est dignitatem socii honorarii Regiae Academiae Bonarum Artium et gradum doctoris Pontificiae Facultatis Theologicae Mediolanensis, a. 1913 renunciatus est socius Societatis Philologicae Budapestinensis, a. 1915 socius effectivus Pontificiae Academiae Archeologicae Romanae et a. 1916 acce-

¹³ A cura di mons. Giuseppe Faraoni e di mons. Giovanni Galbiati, con introduzione di Paolo Bellezza, Firenze 1932, pp. XLVII+364.

¹⁴ Exempli gratia hic nominari possunt Conventus studiosorum catholicorum Friburgi Helvetiorum (1897) et Monaci (1900), necnon Conventus Internationalis Scientiarum Historicarum Romae (1903), quibus Ratti interfuit. A. 1907 fit socius Congressus Internationalis Tabulariorum et Bibliothecariorum, a. autem 1912 nominatur vicepraefectus Consilii urbani virorum, quod ad honestandam memoriam Georgii Giulini institutum erat. Inde ab a. 1889 quotannis intererat consessibus Societatis sanctorum Ambrosii et Caroli, quae Vigevani et Cremae celebrabantur. Iam vicepraefectus Bibliothecae Vaticanae, a. 1915 interfuit sollemnitatibus septingentesimi anniversarii a die natali Rogeri Bacon Oxonii celebratis. Cfr. Galbiati, p. 263 et alibi.

¹⁵ Ita ex. gr. a. 1893 fuit Praegae, 1900 Ravennae, Ferrariae, Alexandriae et Savone, 1901 Monaci, 1902 et 1907 Coloniae Agrippinae.

pit titulum socii honorarii unius ex sodaliciis virorum doctorum Germaniae, Verein für die Geschichte der Fünf Orte nuncupati.

Mediolani, praeter occupationes in Bibliotheca Ambrosiana, Achilles Ratti alios etiam labores et onera pro bono archidioecesis umeris suis suscipiebat. Itaque a. 1895 mandatu archiepiscopi interfuit colloquiis cum magistratibus civitatis habitis de institutione religiosa in scholis publicis inducenda. A. 1896 fuit particeps Consilii delectorum virorum, qui celebrationem millesimi quingentesimi anniversarii mortis s. Ambrosii praeparare debebant. A. 1900-1905 praefuit speciali Consilio archiepiscopali virorum, quibus commissum erat munus statuendi et pronuntiandi, utrum reliquiae sanctorum Victoris et Satyri, quae in basilica s. Victori sacra servabantur, verae essent an falsae¹⁶. Annis 1902, 1910 et 1914, munere iudicis synodalis fungens, laboribus synodorum archidioecesanarum intererat. Inde ab a. 1897, in ecclesiis s. Iosephi et s. Raphaelis, concionatorem agebat Germanorum Mediolani degentium. A. 1907-1909 in Seminario Maiore linguam Hebraicam docebat. Quam serio et graviter hoc officium suum tractaret, vel id testimonio esse potest, quod - ut scientiam sermonis Hebraici augeret perficeretque - horis subsicivis scholam rabbinorum frequentabat. Bis interfuit legationibus publicis Sanctae Sedis, cum - munere secretarii fungens - comitaretur ablegatum pontificium, episcopum Iacobum Radini-Tedeschi¹⁷, in itineribus eius primum Vindobonam (a. 1891), deinde Lutetiam Parisiorum (1893) factis, ad deferenda Romanae purpurae insignia ordinario Vindobonensi, archiepiscopo Antonio Iosepho Gruscha¹⁸, ordinario Burdigalensi, archiepiscopo Lécot¹⁹, et ordinario Ruthenensi et Vabrensi, episcopo Bourret²⁰.

Hanc Achillis Ratti operositatem, praesertim quod ad colenda studia et res ordinandas disponendasque attinet, superiores eius ecclesiastici et magistratus civiles magni faciebant. Cuius rei testes sunt dignitates et honores, quos ei tribuerunt. Anno enim 1888 factus est canonicus Capituli Collegiatae s. Ambrosii, anno autem 1907 praelatus domesticus Suae Sanctitatis nominatus. Post ingeniosam renovationem et novam ordina-

¹⁶ Cfr. AAS, 7 (1915), p. 291-292 - Decretum Congregationis Rituum 9 VI 1915 latum.

¹⁷ Iacobus Maria Radini-Tedeschi (1857-1914). Suscepto presbyteratus ordine a. 1879 iuri canonico studuit. Ab a. 1881 ius canonicum docebat in seminario clericorum Placentino. Ab a. 1980 in Secretariatu Status laborabat. A. 1905 nominatus est epus Bergomensis.

¹⁸ Antonius Iosephus Gruscha (1820-1911). Ordine sacerdotali a. 1843 Vindobonae accepto, pastoralis curae animarum se dedit. A. 1851 nominatur magister religionis in celebri gymnasio Vindobonensi, cui nomen Theresianum, et a. 1852 praeficitur Sodalicio Sociali Vindobonensi (Wiener Gesellenverein). Ab a. 1862 docebat theologiam pastorem in Universitate studiorum Vindobonensi, a. 1866-1867 etiam munere decani Facultatis Theologicae fungens. A. 1878 nominatur episcopus titularis Carrhenus et episcopus castrensis exercitus Austriaci. A. 1878 nominatur archiepiscopus Vindobonensis et 1891 ad dignitatem cardinalis evehitur. Cfr. M. Liebmann, *Die Bischöfe der deutschsprachigen Länder 1785 / 1903 bis 1945*, herausg. von Erwin Gatz, Berlin 1983, p. 262-272.

¹⁹ Victor Lucianus Sulpitius Lécot (1831-1908).

²⁰ Ernestus Bourret (1827-1896). Professor iuris in Universitate Studiorum Sorboniana inde ab a. 1863. Interfuit laboribus Concilii Vaticani I. Ab a. 1871 epus Ruthenensis.

tionem Bibliothecae et Pinacothecae Ambrosianae a. 1905-1906 peractam, nominationem regiam in equitem nomismatis Sanctorum Mauritii et Lazari consecutus est. Postquam vero munus praefecti Bibliothecae Vaticanae ei concreditum erat, Benedictus XV die 14 Septembris a. 1914 nominavit eum canonicum basilicae s. Petri in Vaticano et 28 Octobris eiusdem anni titulo honorario protonotarii apostolici donavit. Ut sequitur ex annotationibus ad suum ipsius vitae curriculum a. 1919 vel 1920 manu propria exaratis, Ratti erat etiam eques nomismatis Francisci Iosephi I imperatoris, quo a. 1893, dum ablegato pontificio ab epistulis erat, decoratus esse videtur. Insignitus etiam erat Cruce pro Ecclesia et Pontifice²¹.

Inter praeoptatas subsicivas occupationes Achillis Ratti non postremum locum obtinebat montium ascendendorum studium. Itaque iam a. 1874, cum esset alumnus seminarii Mediolanensis, altissimos montes scandere coepit. A. 1885-1913 unoquoque fere anno, certis temporibus, interfuit Alpium ascensionibus, de quibus diligenter referebat in commentariis "Bollettino del Club Alpino Italiano" et "Rivista mensile della Sezione Centrale del Club Alpino Italiano"²². Inde a mense Iulio a. 1888 erat unus ex sociis Mediolanensibus Societatis Alpinae Italicae ("Club Alpino Italiano"), anno autem 1900, una cum noto philosopho Caietano Negri²³, eiusdem sodalicii praefectus nominatus est. Inter indubitatos eius successus, ad montivagos cursus lustrationesque quod attinet, numerari certo potest, prima ab Italis facta, ascensio culminis Dufour (4634 m) in summo iugo Montis Rosa positi et omnino primus et unicus transitus cacuminis Zumstein nuncupati (4450 m). Utrumque hoc mirabile facinus una cum ascensionum suarum socio, sacerdote Ludovico Grasselli († 1912), a. 1889 peravit. Anno sequenti, post factam ascensionem Montis Candidi (Monte Bianco), ambo descenderunt per molem glaciata Dôme vocatam novo, hucusque ignoto itinere, quod propterea usque ad dies nostros "Iter Ratti-Grasselli" appellatur.

Ratti, cum gravi munere praefecti Bibliothecae Vaticanae fungeretur, haud dubie attento animo sequebatur et observabat eventa belli, quod a. 1914 ortum inter omnes fere gentes gerebatur atque saeviebat. Certe tamen non suspicabatur mox se ipsum in territoriis, ab exercitibus potentiarum bellum inter se gerentium occupatis, praesentem adfuturum esse et duobus annis post, a. 1920, quasi spectatorem fore pugnae, quae futuram Europae fortunam decernere debebat.

Summus pontifex Benedictus XV, inde ab initio pontificatus sui, moderatores potentiarum, quae bellum gerebant, de restauranda pace constan-

²¹ Cfr. AV, Arch. Nunz. Vars. 190f.97r-98r.

²² Relationes eius etiam separatim publicatae sunt in: Giovanni Bobba, Francesco Mauro, *Scritti alpinistici del Sacerdote Dott. Achille Ratti (ora S. S. Pio Papa XI). Raccolti e pubblicati in occasione del Cinquantenario della Sezione di Milano del Club Alpino Italiano. MCMXXIII*, Milano 1923, pp. XXIII+189. Indicem omnium ascensuum et lustrationum A. Ratti vide ibidem, p. 157-166.

²³ Caietanus Negri (1838-1902), scriptor, homo politicus et rei socialis promotor.

ter admonebat et nullum non movebat lapidem, ut calamitates et angustias bello partas saltem mitigaret. Bello iam ad finem vergente, sollicitus et anxius observabat condicionem Ecclesiae in Europa Media et Orientali, ubi rationes rei publicae et fines ipsi inter civitates radicitus mutabantur. Iam enim 5 Novembris a. 1916 in terris Poloniae a potentiis centralibus, ut aiebant, occupatis, quae divisionum tempore ad Russiam pertinebant, ambo imperatores, Gulielmus II et Franciscus Iosephus I, sollemniter pronuntiaverunt formationem Regni Poloniae, quod Constitutionis vigore hereditarium et nulli subiectum esse et suis legibus vivere debebat. Fines eius quidem ad amussim nondum designati nec recti erant, sed plus minusve comprehendere debebat spatium provinciae metropolitanae Varsaviensis, quae complectebatur dioeceses: Augustoviensem seu Sejnensem, Cuiaviensem-Calissiensem, Plocensem, Sandomiriensem, Kielcensem et Lublinensem una cum adiuncta ei dioecesi Janoviensi seu Podlachiensi. Decreto die 5 mensis Novembris Varsaviae edito institutum est Consilium Status ad tempus electum (14 I 1917 - 26 VIII 1917), deinde vero Consilium Regentium (12 IX 1917), quod - donec rex vel eius vices gerens eligeretur - summam imperii in Regno Poloniae obtinere debebat²⁴. Consilium Regentium tribus membris constabat: metropolita Varsaviensi, archiepiscopo Alexandro Kakowski²⁵, principe Zdzisław Lubomirski²⁶ et comite Iosepho Ostrowski²⁷. Litteris 29 X 1917 datis Consilium summum pontificem certiore faciebat se summa imperii in Regno Poloniae potiri. Responsum Sedis Apostolicae Consilio coram moderatoribus potentiarum, terras Polonas occupantium, quodammodo animum addebat et desiderium Polonorum recuperandae libertatis approbat²⁸.

Inde ab a. 1916 aepus Kakowski renovavit congressus seu conferentias, quas vocant, episcoporum provinciae Varsaviensis, certis temporibus convocatas, in quibus inter res alias de Ecclesia in Regno Poloniae denuo ordinanda et instituenda, de vita religiosa, ab invasoribus et bello prorsus

²⁴ Cfr. K. W. Kumaniecki, *Odbudowa państwowości polskiej. Najważniejsze dokumenty 1912 - styczeń 1942* [Restitutio rationis rei publicae in Polonia. Documenta principalia ab a. 1912 usque ad m. Ianuarium 1924], Warszawa 1924, p. 48, 50, 71-72; cfr. J. Pajewski, *Odbudowa państwa polskiego* [Restitutio rei publicae Polonae], Warszawa 1978, p. 116

²⁵ Alexander Kakowski (1862-1938), presbyteratus ordinem 30 V 1886 consecutus est. Ab a. 1898 fuit rector seminarii dioecesanii Varsaviensis, inde ab a. 1910 rector Academiae Ecclesiasticae Petropolitanae. A. 1913 nominatus archiepiscopus metropolita Varsaviensis; primas Regni Poloniae. Annis 1917-1918 membrum Consilii Regentium. Die 15 XII 1919 cardinalis creatus.

²⁶ Zdzisław Lubomirski (1865-1941), vir politicus, rei socialis promotor. A. 1916-1917 praesidens urbis Varsaviae. A. 1917-1918 membrum Consilii Regentium, deinde senator a. 1928-1935 et a. 1931-1935 praefectus Consilii Generalis Corporationum Nobilium Agricultorum (Naczelna Rada Organizacji Ziemiańskich).

²⁷ Iosephus Ostrowski (1850-1924), homo politicus. A. 1906-1911 erat legatus ad Diaetam Imperii Russici (Gosudarstvennaja Duma) deputatus, a. 1917-1918 membrum Consilii Regentium.

²⁸ Cfr. Z. J. Winnicki, *Początki stosunków polsko-watykańskich u schyłku I wojny światowej* [Initia relationum inter Poloniam et Vaticanum sub finem primi omnium gentium belli], "Chrześcijańskie Współczesność", 1987 nr 4, p. 75-76.

deleta, resuscitanda atque redintegranda, de praeparando futuro concordato cum Sede Apostolica ineundo, de quaestionibus denique socialibus et politicis deliberabatur²⁹. Dum Sedem Apostolicam de propositis episcoporum et eorum actionibus certiore faciebat, archiepiscopus Kakowski, metropolita et Consilii Regentium praepositus, id papam vehementer etiam atque etiam rogabat, ut legatum aliquem suum Varsaviam mitteret³⁰.

Rogationes ergo metropolitae Varsaviensis et rerum publicarum mutationes, quae ruinam et interitum Imperii Russici secutae sunt, praeterea necessitas restaurandae vitae religiosae et perficiendae restitutionis ac novae ordinationis structurarum ecclesiasticarum in terris Poloniae, effecerunt, ut summus pontifex ablegatum suum cum titulo et gradu visitatoris apostolici Varsaviam mittere statueret. Cum certo sibi persuasisset Germanos et Austro-Hungaros, terras Polonas occupantes, proposito suo non esse adversaturos, die 25 IV 1918 huiusmodi munus commisit praefecto Bibliothecae Vaticanae, praelato Achilli Ratti³¹. Verum est quidem eum usu et experientia rerum publicarum S. Sedis omnino caruisse, sed ad obeundam provinciam visitatoris apostolici eiusmodi usus non requirebatur. Ratti autem aliis dotibus erat instructus, quae eum ad explendum hoc munus idoneum faciebant: auctoritate, quam in doctrina et studiis sibi comparaverat, optima iuris canonici peritia, ingenio tandem ad res disponendas ordinandasque et ad opportuna capienda consilia non vulgari. Ut ad hoc novum sibi concreditum officium se accuratius praepararet, omnia, ad quae aditum habere poterat, opera de historia Ecclesiae in Polonia conscripta atque res ad Poloniam spectantes, ex tabulariis Secretariatus Status et singulorum Sedis Apostolicae dicasteriorum depromptas, legere et discere non praetermisit. Denique, acceptis instructionibus Secretariatus Status, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus³², die 19 mensis Maii Roma discessit et, per Mediolanum, Monacum, Vindobonam et Berolinum, 29 die Maii sub vesperum Varsaviam pervenit, ubi sollemniter salutatus est. Postridie, ipso festo Corporis Christi, cum sollemni processioni per vias Varsaviae praeesset, cui interfuerunt membra Consilii Regentium, mandatarii potestatum occupantium et summi magistratus Poloni, propriis oculis cernere poterat fidem et pietatem populi Poloni eiusque magnam in summum pontificem devotionem et reverentiam³³.

²⁹ S. Wilk, *Episkopat Kościoła katolickiego w Polsce w latach 1918-1939* [Episcopi Ecclesiae Catholicae in Polonia annis 1918-1939], Warszawa 1992, p. 54-56.

³⁰ Vide infra A. 8-10.

³¹ Documenta ad nominationem Achillis Ratti in administratorem apostolicum pertinentiavide: A. 15-17; 22, 24 et N. 3-4. Cfr S. Wilk, *Sprawa nominacji i przybycia do Warszawy wizytatora apostolskiego w 1918 r.* [De nominatione et adventu Varsaviam administratoris apostolici a. 1918.], *Seminarie*, 10(1994), p. 213-222.

³² Vide infra N. 5-11.

³³ Vide infra N. 13, 18.

Iura et facultates Achillis Ratti - tamquam visitatoris apostolici - principio comprehendebant tantummodo territorium provinciae metropolitanae Varsaviensis, id est Regnum Poloniae, quamquam inter alia officia ei commissae et illud erat, ut sciscitari conaretur de restitutione, si fieri posset, et provisione dioecesis Camenecensis, quae pars erat provinciae metropolitanae Mohiloviensis. Quamquam enim vulgo affirmabatur eum cum titulo "visitatoris apostolici pro Polonia et Lithuania" Varsaviam venisse, animadvertendum tamen est neque diplomata nominationis, neque instructionem Secretariatus Status similem titulum continuisse. Territorium vero, ad quod actio et iurisdictio visitatoris se extendere debebat, saepissime voce "Polonia" definiebatur. Facultates tamen eius non complectebantur terras Polonas sub ditione Prussiae et Austriae manentes, quae iurisdictioni nuntiorum Vindobonensis et Monacensis adhuc subiectae erant. Pedetemptim, ad preces cleri et fidelium, Sede Apostolica consentiente, Ratti ad illas quoque terras facultates suas extendere potuit, sed non prius quam primis mensibus a. 1919, quando - Polonia pristinae libertati restituta - earum coniunctio cum nuntiaturis Vindobonae et Monaci constitutis cessaverat³⁴. Mox post suum Varsaviam adventum, 30 VI 1918, adiunctum est ei munus visitatoris apostolici pro Russia et ceteris terris imperatoribus Russiae olim subiectis, id est etiam pro Lithuania, Letlandia, Esthonia, Finlandia et Ucraina³⁵.

Posteaquam Respublica Polona a Sede Apostolica publice agnita erat (30 III 1919) et mutuae inter eas relationes diplomaticae, ut aiunt, esse coeperant, Ratti die 6 Iunii 1919 a. nominatus est nuntius apostolicus in Polonia et 3 die Iulii etiam dignitate archiepiscopi titularis Naupactensis auctus est. Litteras credentiales supremo Reipublicae moderatori, Iosepho Piłsudski³⁶, porrexit die 19 Iulii³⁷. Die 28 Octobris in ecclesia cathedrali Varsaviensi e manibus archiepiscopi Kakowski consecrationem episcopalem est assecutus³⁸. Quod autem attinet ad reliquas respublicas in

³⁴ S. Wilk, *Odbudowa życia kościelnego na terytorium byłego Cesarstwa Rosyjskiego (1918-1920)* [Restitutio vitae religiosae in territorio quondam Imperio Russico (1918-1920) subiecto], in: *Kościół i społeczność*, pod red. J. Walkusza, Lublin 1993, p. 127-130.

³⁵ Vide infra N. 47.

³⁶ Iosephus Piłsudski (1867-1935), marescalcus Poloniae, homo politicus, Factionis Socialisticae Polonae moderator. A. 1910-1914 praefuit Turmis Sclopetariorum (Związki Strzeleckie), a. 1914-1916 dux primi regimenti, deinde primi manipuli Legionum Polonarum. A. 1916-1917 membrum fuit Provisorii Consilii Status, a. 1917-1918 Magdeburgi in custodia habitus. Ab a. 1918 Reipublicae supremus dux, in bello a. 1920 cum bolsevicis gesto victor, ab a. 1920 primus marescalcus Poloniae. A. 1922-1923 supremae auctoritatis militaris praefectus. Post rerum mutationem m. Maio a. 1926 temptatam, rerum militarium administer et generalis exercituum inspector usque ad a. 1935, a. 1926-1928 et 1930 primus administer.

³⁷ Relationem de sollemnitate porrigendarum litterarum credentialium vide in WAW 9(1919), p. 219-221. Orationes a Ratti et Piłsudski habitae vide in: O. Cavalleri, *L'Archivio di mons. Achille Ratti visitatore apostolico e nunzio a Varsavia (1918-1921)*. *Inventario*, a cura di G. Gualdo, Città del Vaticano 1990, p. 232-234.p

³⁸ Descriptionem huius sollemnitatis vide in WAW 9(1919), p. 261-262, 283-288.

territoriis Imperio Russico olim subiectis ortas, Ratti munus visitatoris apostolici in eis retinuit. Demum die 14 Februarii a. 1920 Sedes Apostolica nominavit patrem Ioannem Genocchi³⁹ visitatorem apostolicum in Ucraina, die autem 8 VI eiusdem anni ordinarium Buscoducensem, episcopum Arnoldum Franciscum Diepen⁴⁰, visitatorem apostolicum in Russia et Finlandia, praeterea etiam pro Dania, Suetia et Norvegia instituit. Mense Decembri a. 1920 munus mandatarii Sanctae Sedis in regionibus Balticis delatum est ordinario quondam dioecesis Rigensis, epo Eduardo O'Rourke⁴¹. Eius tamen facultates spectabant tantum ad negotia et quaestiones cum conquirendis ordinum et congregationum religiosarum sodalibus ad curam animarum in illis terris agendam coniunctas. Praeterea omnia coepta sua cum nuntio et singulis locorum ordinariis concordare debebat⁴². Itaque Ratti re vera, usque ad finem suae commorationis Varsaviae (4 VI 1921), fungebatur munere nuntii in Polonia et visitatoris apostolici pro Lithuania, Letlandia et Esthonia. Cum de facultatibus agitur, quibus Ratti, prout Sanctae Sedis mandatarius in Media et Orientali Europa, praeditus erat, notandum est etiam eum, a die 20 Aprilis usque ad 12 Decembris a. 1920, officio Supremi Commissarii Ecclesiastici pro territoriis plebiscito comprehensis in Superiore Silesia, Varmia et Masuria functum esse⁴³.

Primum visitatio apostolica Varsaviensis, deinde nuntiatura in Polonia, usque ad a. 1920 duabus tantum personis constabat: visitatore (nuntio) Ratti et eius secretario, sacerdote Ermenegildo Pellegrinetti. Pellegrinetti natus est 27 III 1876 in oppido Campo Maiore (Camaio) in archidioecesi Lucensi. Ibi quoque in ludo elementario rudimenta litterarum didicit et post per biennium cursum studiorum, qui ex solito in gymnasio traditur, domi privatim continuabat. Deinde ingressus est Seminarium Archiepiscopale Lucense, quod a. 1898 absolvit. Eodem anno ordinationem sacerdotalem accepit. Annis 1898-1901 commoratus est Romae, ubi in Academia S. Thomae Aquinatis studio philosophiae vacabat et in Tabulario Secreto Vaticano palaeographiam et scientiam diplomaticam disciebat. Postquam vero in dioecesim suam revertit, in cura animarum occupatus erat et in Seminario Garfaniensi litteras docebat. A. 1904 in Pontificio Seminario Romano s. Apollinaris gradum doctoris iuris canonici ade-

³⁹ Ioannes Genocchi (1860-1926). Sacerdos ex congregatione Missionariorum Sacri Cordis, Sacrarum Scripturarum studiosus, missionarius in Syria, Turcia et Nova Guinea laborabat. A. 1897-1900 praepositus generalis suae congregationis, 1900-1910 praepositus provincialis. Ab a. 1911 operator missionarius in Columbia. A. a. 1920 visitator apostolicus pro Ucraina nominatus.

⁴⁰ Arnoldus Franciscus Diepen (1860-1943). A. 1915 nominatur epus titularis Danabenus et coadiutor cum iure successionis epi Buscoducensis (s'Hertogenbosch), cui successit a. 1919.

⁴¹ De quo vide infra, N. 47, 51, 56.

⁴² Cfr. O. Cavalleri, *La missione di mons. Achille Ratti nei Paesi Baltici (1918-1921)*, in: O. Cavalleri, *L'Archivio*, p. 228.

⁴³ AV, Arch.Nunz. Vars. 194 f. 677r (diploma nominationis ad hoc munus, 20 IV 1920 datum, N. prot.B-5229).

ptus est. Inde ab a. 1905 erat professor in Seminario Archiepiscopali Lucensi, ubi inter res alias historiam ecclesiasticam, historiam Italiae et prolegomena Sacrarum Litterarum docebat. A. 1916 vocatus est ad munus militare Florentiae obeundum, ubi officium aegrorum ministri ei commissum est. Ibi, praeter alias occupationes muneri suo inhaerentes, captivos Slovenos cura pastoralis prosequatur. Anno sequenti Romam translatus est, ubi - tamquam linguarum peritus - laborabat in Officio censurae militaris, scilicet in ea eius parte, cuius munus erat litteras captivorum et relegatorum in linguis Slavicis scriptas interciperi et inspicere. Horis subsecivis in Archivo et Bibliotheca Vaticanis studiis et investigationibus historicis operam dabat, ubi saepe cum praefecto Achilli Ratti coram colloquendi occasio dabatur. Cui cum munus visitoris apostolici Varsaviae demandatum esset, eum sibi scribam ab epistulis sive secretarium delegit⁴⁴. Cum missio eius e militia longiorem moram subierit, non prius quam 5 VI 1918 Varsaviam venire potuit⁴⁵. Satis velociter et admodum bene linguam Polonam didicit, nam iam inde a dimidio mense Iunio apparabat ad usum visitoris quotidianos nuntios, in commentariis et ephemeredibus Polonis publicatos, in Italicum sermonem eos convertendo. Cum autem superiorem suum in omnibus eius itineribus comitaretur, peritia et usu linguae Polonae summam cleri admirationem excitabat⁴⁶.

Tempore suae commorationis in Polonia Pellegrinetti propter negotia cum officiis coniuncta bis Romam profectus est. Primum iter confecit diebus 28 VIII - 4 X 1919⁴⁷, alterum 8 XII 1920 - 15 I 1921⁴⁸. Die 29 Iulii a. 1919 adeptus est dignitatem secreti cubicularii pontificii, die vero 27 Novembris eiusdem anni nominatus est auditor secundae classis nuntiaturae apostolicae in Polonia⁴⁹. Omnia officia sibi commissa diligenter et accurate explebat, praeterea scribebat et publicabat in ephemeride Sanctae Sedis "Osservatore Romano" breves commentarios, in quibus nonnullos maioris momenti eventus ex vita ecclesiastica in Polonia selectos referebat. Postquam nuntius Ratti ex Polonia discesserat, Pellegrinetti, cum munere curatoris negotiorum nuntiaturae apostolicae (*chargé d'affaires*, *incaricato d'affari*), Varsaviae remansit. Mandatu secretarii status, card. Petri Gasparri⁵⁰, composuit relationem finalem de missione Achillis Ratti

⁴⁴ Ratti iam die 9 Aprilis a. 1918 munus secretarii ei obtulit. Cfr. Natalini, *Idiari*, p. 130.

⁴⁵ De praeparatione et progressu itineris vide ibidem, p. 130-142.

⁴⁶ Testantur hoc eius manuscripta in actis nuntiaturae asservata (vide ex. gr.: AV, Arch. Nunz. Vars. 206 f. 248-264) et testimonium Achillis Ratti (ibidem, 192 f. 400-409, nuntius Ratti ad card. Petrum Gasparri 20 VII 1918).

⁴⁷ Acuratam eius descriptionem Pellegrinetti dedit in suis diariis. Vide Natalini, *I diari*, p. 223-237.

⁴⁸ Cfr. AV, Arch. Nunz. Vars. 194 f. 844. Diem reditus difficile est statuere, sed eum certo ante 8 I 1921 evenisse conici potest. Cfr. ibidem, f. 897r-899v, 907v.

⁴⁹ Cfr. AAS 11 (1921), p. 367, 482.

⁵⁰ Petrus Gasparri (1852-1934), cardinalis, legatus publicus Sanctae Sedis, iuris canonici peritus. Studiis in Seminario Romano a. 1877 absolutis, ordinem presbyteratus suscepit. A. 1877-1880

in Polonia⁵¹. Post adventum novi nuntii, archiepiscopi Laurentii Lauri⁵² (10 X 1921), Pellegrinetti experientia sua et rerum Poloniarum scientia eum adiuvabat. Die 22 Februarii a. 1922 accepit dignitatem praelati domesticus Suae Sanctitatis⁵³. Ex Polonia discessit 5 IV 1922. Moderatores Reipublicae Polonae eum nomismate "Polonia Restituta" honestaverunt, quo legatus Vladislaus Skrzyński⁵⁴ die 23 Maii eum Romae decoravit⁵⁵. Die 24 Maii accepit dignitatem archiepiscopi titularis Adanensis et 29 Maii nominatus est nuntius apostolicus Belogradi "in Regno Serborum - Croatarum et Slovenorum"⁵⁶, ubi structuram nuntiaturae a fundamentis aedificaturus erat. Unus autem ex maioribus eius successibus ibi reportatis in eo situs erat, quod die 25 VII 1937 ad concordatum inter Iugoslaviam et Sanctam Sedem concludendum adduxit. Aliquot mensibus post, 13 XII 1937, ad dignitatem cardinalis evectus est accepto titulo s. Laurentii in Panisperna. Obiit Romae 29 III 1943⁵⁷.

A. 1920, cum nuntio Ratti delatum esset munus Supremi Commissarii Ecclesiastici pro territoriis plebiscito comprehensis, labores et onera a nuntiatura apostolica Varsaviensi sustinenda aucta et multiplicata sunt. Hac de causa secretarius status, card. Gasparri, die 15 IV 1920 secreta-

docebat ius canonicum in Collegio Congregationis de Propaganda Fide et postea in Instituto Catholico Lutetiae Parisiorum. A. 1898 accepit dignitatem aepi titularis Caesariensis in Palaestina et nominatus est delegatus apostolicus in Aequatoria, Bolivia et Peruvia. Ab a. 1901 erat secretarius Congregationis a Negotiis Ecclesiae Extraordinariis et ab a. 1904 diligentem operam insumpsit in apparanda editione Codicis Iuris Canonici. A. 1907 dignitate cardinalis decoratus est. A. 1914-1930 functus est munere secretarii status Sedis Apostolicae. A. 1917 nominatus est praefectus Pontificiae Commissionis ad Codicis Canones authenticos interpretandos et a. 1929 praefectus Commissionis S.R.E. Cardinalium Codificationi Iuris Canonici Ecclesiae Orientalis praepositae. Multum contulit ad Pacta Lateranensia a. 1929 inita. A. 1933 factus est sodalis Academiae Italicae (Accademia d'Italia). Cfr. J. Grzywacz, EK V, 877; R. Bäumer, LThK IV, 524.

⁵¹ *Relazione finale sulla missione di Mons. Ratti in Polonia*, in: O. Cavalleri, L'Archivio, p. 145-211. Versio magis completa relationis habetur in: "Polonia restituta", L'Italia e la ricostruzione della Polonia 1918-1921, a cura di Maria Herling. Milano-Bucuresti 1992, p. 181-237.

⁵² Laurentius Lauri (1864-1941). Sacerdotii ordinem suscepit a. 1887. A. 1916 nominatur internuntius, a. 1917 nuntius apostolicus in Republica Peruviana. Ab a. 1917 aepus titularis Ephesus. A. 1921-1927 fungitur munere nuntii apostolici in Polonia. A. 1926 cardinalis creatur. Descriptionem eius adventus in Poloniam et sollempnitatem porrigendi litteras credentiales, necnon orationes illa occasione habitas, cfr. KDKK 15 (1921) p. 273-275. Opiniones Ermenegildi Pellegrinetti de novo nuntio vide in Natalini, *Idiari*, p. 254.

⁵³ Cfr. AAS 14 (1922), p. 206.

⁵⁴ Vladislaus Boleslaus Skrzyński (1873-1937), iuris peritus, legatus publicus. Usque ad a. 1918 laborabat in legationibus Austro-Hungaricis Hagae, Bernae, Monaci, Bruxellis. A. 1919 nominatur subsecretarius status in Consilio Exteris Reipublicae Negotiis praeposito. A. 1919-1921 fungitur munere legati Reipublicae Polonae Matriti. Ab a. 1921 fuit legatus, deinde ab a. 1924 orator publicus Reipublicae Polonae apud Sanctam Sedem. A. 1925, una cum Stanislawo Grabski (1871-1949), concordato inter Poloniam et Sedem Apostolicam concluso subscripsit.

⁵⁵ Cfr. Natalini, *Idiari*, p. 256, 265.

⁵⁶ Cfr. AAS 14 (1922), p. 352, 362.

⁵⁷ M. Giusti, *Il card. E. Pellegrinetti che fu collaboratore di Pio XI*, L'Osservatore Romano, 27 III 1976, p. 5-6. Vide etiam: *Il Cardinale Ermenegildo Pellegrinetti nel centenario della nascita (1876-1976)*. Pescia 1977; G. Gualdo: *Introduzione. 2. Importanza e significato di questo volume*, in: Cavalleri, L'Archivio, p. XXII-XXV. Cfr. Natalini, *Idiari*, p. 1-55.

rium nuntiaturae nominavit Antonium Farolfi, sacerdotem dioecesis Faventinae, qui per aliquot annos in Dataria Apostolica laborabat et se ad officia Sanctae Sedis in exteris regionibus obeunda praeparabat. Varsaviam venit die 20 IV a. 1920. A die 4 VI a. 1921 nuntium in eius itinere Romam comitatus est, unde 18 VIII Varsaviam revertit. Eius convictio et cooperatio cum successore Achillis Ratti, Laurentio Lauri, minus feliciter evenit, ita ut fortassis iam primis mensibus a. 1923 Polonia discederet⁵⁸. Aliter ac Pellegrinetti, superiores dignitates ecclesiasticas non est adeptus. Annis sequentibus laborabat in Congregatione Consistoriali, postea in Congregatione Concilii, inferioribus officiis fungens. Die 3 IX 1941 ornatus est dignitate praelati domestici Suae Sanctitatis⁵⁹.

Missio Achillis Ratti in Poloniam, sicut visitoris apostolici pro provincia ecclesiastica Varsaviensi, ita cogitata et instituta erat, ut res tantum religiosas et ecclesiasticas spectaret⁶⁰. In instructione, quam ex Secretariatu Status, 4 V 1918 datam, accepit, nuntius monebatur, ne se negotiis politicis, praesertim vero controversiis, si quae essent, inter Polonos et potestates terras illas occupantes, interponeret. Eius enim munus in hoc imprimis situm erat, ut quaestiones ad vitam ecclesiasticam illius regionis pertinentes diligenter exploraret ac cognosceret, Sedem Apostolicam de omnibus accurate edoceret et episcopos Polonos in coeptis ac propositis eorum feliciter perficiendis modis omnibus adiuveret. Ratti, mandata Sedis Apostolicae sedulo exsequens, paroecias in dioecesibus provinciae metropolitanae Varsaviensis naviter visitabat. Eius amplae relationes de singulis visitationibus compositae, in quibus tum eminentiores illius temporis homines, tum res sociales, politicas, religiosas sagaciter et acute describebat et iudicabat, opiniones et iudicia, quae de rebus Poloniae, de confessionibus religiosis et gentibus numero inferiore illic praesentibus in Secretariatu Status habebantur, valde suppleverunt et emendaverunt. Multum contulit ad accelerandas provisiones episcopatum vacantium et designationem episcoporum auxiliarium. Ad felicem exitum adduxit quaestionem de episcopatu castrensi. Inter maioris momenti negotia, quae Ratti, primum visitor apostolicus, deinde nuntius, tempore

⁵⁸ Cfr. Natalini, *Idiari*, p. 260.

⁵⁹ Cfr. *Annuario Pontificio*, 1931, p. 518 et a. 1949, p. 753, 962.

⁶⁰ De actione et opera Achillis Ratti, tamquam visitoris et nuntii, praeter generales vitae eius descriptiones, vide: Novelli, op. cit. p. 117-161; card. A. Hlond, *Monsignor Ratti in Polonia*, "Vita e Pensiero", 20 (1929), p. 465-471; J. Jurkiewicz, *Nuncjatura Achillesa Ratti w Polsce* [Nuntiatura Achillis Ratti in Polonia], Warszawa 1953; W. Meysztowicz, *La nunziatura di Achille Ratti in Polonia*, in: *Pio XI nel trentesimo della morte*, p. 177-203; J. Bańka, *Dekret ks. kard. Adolfa Bertrama z 21 XI 1920 r. a ks. Achilles Ratti, późniejszy papież Pius XI* [Decretum card. Adolphi Bertrama 21 XI 1920 promulgatum et sac. Achilles Ratti, postea papa Pius XI], "Nasza Przyszłość", 36(1971); K. Rędziński, *Watykańscy komisarze a plebiscyt górnośląski* [Commissarii Vaticani et plebiscitum in Silesia Superiore], "Człowiek i Światopogląd", 1895 nr 7, p. 53-66, nr 8, p. 77-90; O. Cavalleri, *La missione di mons. Achille Ratti nei Paesi Baltici (1918-1921)*, in: O. Cavalleri, *L'Archivio*, p. 215-229; A. Paredi, *I tre anni di Achille Ratti in Polonia (1918-1921)*, in: *Polonia restituta*, p. 117-123; S. Wilk, *Odbudowa życia kościelnego*, p. 125-140; S. Wilk, *Sprawa nominacji*, p. 213-222; Natalini, *Idiari*, p. 138-242.

missionis suae in Polonia expedire nitebatur, primum certo locum obtinebant conatus et labores eo spectantes, ut concordatum inter Poloniam et Sedem Apostolicam praepararetur et tandem concluderetur, sed tales conatus ob causas voluntati eius minime obnoxias speratos fructus non tulerunt⁶¹. In controversiis, quae inter Polonos ex una ac Lithuanos et Ucrainenses ex altera partibus exoriebantur, neutri parti magis quam alteri favere studebat et se in omnes aequo et constanti animo esse ostendebat. Non solum ad servandam pacem et tranquillitatem omnes hortabatur, sed etiam apud episcopos intercedebat, ut curarent, ne sacerdotes eis subiecti nimium et exasperatum propriae nationis sive nationalitatis studium inter fideles propagarent. A. 1920, tempore belli inter Polonos et bolsevicos gesti nuntius Ratti, unus ex paucis exterarum nationum oratoribus, Varsaviae remansit et m. Augusto eius anni animos defensorum urbis confirmabat eisque animum addebat⁶². Qua re non solum apud incolas Varsaviae, sed apud omnes Polonos magnam observantiam benevolentiamque sibi comparavit. Itaque in prima, post impetum bolsevicorum, sessione Diaetae Polonae, 24 Septembris celebrata, potestates publicae per Vincentium Witos, Supremi Reipublicae Administrorum Consilii praepositum⁶³, Sedi Apostolicae et eius misso publicas gratias rettulerunt pro eo, quod summi periculi toti nationi impendentis tempore Poloniam adiuvere et animos civium confirmare voluerunt⁶⁴.

A multis Ratti immerito et iniuste, immo iniuriose, accusabatur propter operam et actionem suam Supremi Commissarii Ecclesiastici in territoriis plebiscito subiectis insumptam. Ex actis tamen nuntiaturae manifesto patet eius agendi facultates tot clausulis et cautionibus circumscriptas fuisse, ut inertiae potius quam actioni se hac in parte dedere cogere-tur. Quod ipse card. Petrus Gasparri confirmavit, cum nuntium expressis verbis monuisset, ut in explendo arduo et difficili Supremi Commissarii munere a nimium loquendo et agendo se quam maxime abstinere⁶⁵. Ratti, quamquam praeceptis in instructione contentis obtemperabat, in relationibus tamen suis verum rerum statum in terris plebiscito comprehensis describere conabatur et ita non raro falsas informationes et opiniones,

⁶¹ Cfr. S. Wilk, *Episkopat*, p. 19-32, 96-97.

⁶² Praeter nuntium remanserunt etiam legatus Italiae Franciscus Tommasini, legatus Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis Hugo Simons Gibson, et legatus Regni Daniae. Cfr. Novelli, p. 154.

⁶³ Vincentius Witos (1874-1945), causae popularis promotor et vir politicus. A. 1908-1914 legatus ad Publicum Consilium Regionale Leopoli, a. 1911-1918 legatus ad Publicum Consilium Imperii Austro-Hungarici Vindobonae et a. 1919-1930 legatus ad Publicum Consilium Reipublicae Polonae. A. 1918-1931 functus est munere praesidis Factionis Popularis Polonae (PSL "Piast"). A. 1920-1921, 1923 et 1926 primus administer Consilii Administrorum Reipublicae. A. 1930 Brestiae in custodia detentus. A. 1933-1939 exul in Cecoslovachia. Tempore occupationis Hitlerianae a Germanis deprehensus et in carcerem coniectus.

⁶⁴ AV, Arch. Nunz. Vars. 193 f. 256 (Ratti ad card. Gasparri 25 IX 1920).

⁶⁵ "... nel suo delicato ufficio di Alto Commissario Ella procuri di dire e di fare il meno possibile", AV, Arch. Nunz. Vars. 194 f. 747 (litterae die 3 VIII 1920 datae).

quae a Secretariatu Status habebantur, corrigere et emendare potuit. Palam ergo indicabat pondus et praestantiam, quam Germani in omnibus vitae socialis, politicae et ecclesiasticae partibus obtinebant. In vituperationem et reprehensionem secretarii status, card. Petri Gasparri, venire non metuens, aperte sententiam suam proferebat et affirmabat omnino necessarium esse, ut in causa plebisciti neutri parti praecipue faveatur, sed aequabilitas inter partes servetur. Rebus enim ita constitutis plebiscitum nil aliud quam dolum ac fraudem esse posse certo sibi persuadebat. Praemonebat etiam Secretariatum Status informationes card. Adolphi Bertram⁶⁶, episcopi Vratislaviensis, tamquam imperfectas et minus accuratas, comprobandas et confirmandas esse. Affirmabat enim cardinalem quidem optimum et zelantem esse episcopum, sed corde et animo esse imprimis hominem Germanum, qui nimio propriae nationis studio in quaestiones cum plebiscito coniunctas se interposuerit⁶⁷. Visitatio pastoralis in territoriis, in quibus plebiscitum peragendum erat, eidem cardinali Bertram a Consilio Foederatorum prohibita, ad quam prohibitionem etiam Supremus Commissarius Ratti non parum contulit, erat causa principalis, cur Bertram die 21 Novembris a. 1920 promulgasset decretum, quo omnis actio et agitatio cleri in negotio plebisciti severe vetabatur. Decretum illud, parti Polonae praecipue iniuriosum, inscio et invito Ratti praeparatum et divulgatum erat, sed nuntius de expresso mandato secretarii status, card. Gasparri, in spiritu oboedientiae Sedi Apostolicae debita, a quibuslibet publicis commentariis et declarationibus se omnino abstinere debuit. Omnia haec eventa acerbum sane dolorem et gravem iniuriam nuntio nostro attulerunt⁶⁸.

Quod ad res Ecclesiae Catholicae in regionibus Balticis attinet, visitator apostolicus munus suum ad partes tantum otiosi observatoris non restringebat. Iam enim a. 1918 in animum induxit iter in Lithuaniam facere, cuius tamen rei potestatem a regimine militari Germanico non accepit. Hoc suum desiderium ad felicem exitum perducere tandem potuit mense Ianuario a. 1920, occasione secundi itineris Vilnam suscepti. Die 29 Ianuarii Caunam se contulit, ubi ab episcopis, a praeside Reipublicae et ceteris moderatoribus Lithuaniae summis honoribus exceptus et salutatatus est. Visitavit deinde Seminarium clericorum et monasterium monialium Benedictinarum et salutationis officia explevit apud summos Reipublicae magistratus et in Supremo Consilio exteris negotiis praepo-

⁶⁶ Adolfus Ioannes Bertram (1859-1945). Studiis theologiae in seminariis Herbipolensi et Monacensi absolutis, a. 1881 ordinem presbyteratus suscepit. Studia perfecit et conclusit adipiscendo gradum doctoris theologiae (Herbipoli a. 1883) et iuris canonici (Romae a. 1884). A. 1906 nominatus est epus Hildesiensis et a. 1914 Vratislaviensis. A. 1916 cardinalis "in pectore" nominatus, a. 1919 proclamatus. Ab a. 1920 praefuit Conferentiae Episcoporum Germaniae Fuldae. A. 1930 nominatur aepus et primus metropolita Vratislaviensis.

⁶⁷ Cfr. AV, Arch. Nupz. Vars. 194f. 706-731.

⁶⁸ Cfr. S. Wilk, *Episkopat*, p. 341-343.

sito. Hoc et alterum iter nuntii in Lithuaniam eodem anno mense Martio confectum effecit, ut multae res controversae explanari et componi possent. Ad eiusmodi quaestiones expediendas quod attinet, Ratti optime praeparatus et instructus erat, neque se inopinanter deprehendi passus est reclamationibus Lithuanorum et Polonorum, litibus propter nationalitatem vel linguam in ecclesiis et scholis usitatam excitatis, aut controversiis inter clerum utriusque partis exortis. Propterea in relationibus ad Sedem Apostolicam missis vehementer postulabat, ut sibi liceret longiorem et accuratiorem visitationem perficere in dioecesibus Vilnensi, Sejnensi et Caunensi.

Fructuosiores evaserunt conatus visitatoris apostolici ad Letlandiam spectantes. Iam enim inde ab a. 1919 diligenter adlaboratum est, ut in illa regione mutuae rationes inter rem publicam et Ecclesiam intercedentes omnino accommodarentur et rite componerentur. Ex his laboribus ortum est propositum et adumbratio concordati, quod tandem ad felicem exitum adductum est (30 V 1922) tamquam primum concordatum ab Achilli Ratti, tum iam summo pontifice Pio XI, initum et conclusum⁶⁹. Ratti quidem unum tantum iter, mense Martio a. 1920, in Letlandiam confecit, quod tamen prius per litteras, deinde vero per visitationes moderatorum illius regionis Romae et in nuntiatura apostolica Varsaviae peractas optime apparatus erat. Certus huius itineris fructus in eo praesertim situs est, quod dioecesis Rigensis, a. 1918 restituta, ad dignitatem archiepiscopatus evecta est et episcopus Antonius Springowicz eius ordinarius est nominatus⁷⁰.

Cum Esthonia, quae se liberam et nulli potestati externa obnoxiam Rempublicam die 29 Maii a. 1919 renuntiavit, Ratti non nisi per litteras, praesertim cum sacerdote Adolfo Karling, paroco Viborgensi, societatem quandam habuit⁷¹. Ecclesia Catholica in Esthonia numerabat circa 4 milia fidelium, qui in tribus paroeciis congregabantur. In his paroeciis laborabant tantummodo duo sacerdotes⁷².

Itinera autem in Finlandiam et in Russiam, a visitatore apostolico cogitata, ad effectum adduci non potuerunt. Ex servato tamen epistularum commercio conicere possumus eum ad huiusmodi itinera diligenter et accurate praeparatum fuisse. Hoc testantur i. a. litterae commendaticiae secretarii status card. Gasparri ad Commissarium Populi, ut aiebant, Exteris Negotiis Russiae praepositum, Georgium Čičerin⁷³, 19 IX 1918 datae, quibus tamen Ratti numquam est usus⁷⁴.

⁶⁹ Vide AA 14 (1922), p. 577 passim.

⁷⁰ Vide N. 42.

⁷¹ Cfr. infra, N. 45.

⁷² Plura de hac re vide in: Cavalleri, *La missione*, 215-229.

⁷³ Georgius Vasil'evič Čičerin (1872-1936), factionis operariorum Russicorum fautor, legatus publicus. A. 1918-1930 "commissarius populi" exteris negotiis praepositus.

⁷⁴ AV, Arch. Nunz. Vars. 191 f. 1143r-v. Cfr. Cavalleri, *L'Archivio*, p. 231.

Sine ulla dubitatione opera Achillis Ratti, in Europa Media et Orientali insumpta, ad celeriter aedificandas novas structuras ecclesiasticas et ad maturitatem atque incrementum vitae religiosae cleri et fidelium in illis regionibus promovendum plurimum contulit. Falsas et iniurias opiniones de eo conceptas, quasi plebisciti tempore rationes partis Polonae non satis magni faceret, in hac editione nostra facile confutari et reici posse certo nobis persuademus, negari tamen non potest post mensem Decembrem a. 1920 favorem popularem erga nuntium inter Polonos non parum decrevisse. Die 18 Aprilis a. 1921 secretarius status card. Gasparri certiores eum fecit papam Benedictum XV in animo habere eum mox ad archiepiscopatum Mediolanensem vocare⁷⁵. Ex telegrammate, die 19 Maii accepto, quod ad reditum Romam eum hortabatur, comperit se in consistorio 13 die Iunii celebrando ad dignitatem cardinaliciam evectum iri⁷⁶.

Publica missio Achillis Ratti in Polonia conclusa est litteris apostolicis Benedicti XV ad Iosephum Piłsudski 16 die Maii a. 1921 datis, quas Reipublicae Polonae capiti procul dubio die 30 Iunii sac. Ermenegildus Pellegrietti porrexerat⁷⁷. Die 4 Iunii Varsavia discessit. In consistorio 13 die Iunii celebrato papa archiepiscopum Mediolanensem eum nominavit et sacra purpura decoravit. Sollemnem ingressum in cathedram Mediolanensem celebravit et regimen archidioecesis suscepit die 8 Septembris, ipso festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis. Die 9 Novembris Facultas Theologica Universitatis Varsaviensis concessit cardinali Ratti dignitatem doctoris honoris causa, supremas autem potestates Reipublicae Polonae nomismate Aquilae Albae eum decorarunt, cuius insignia Vladislaus Skrzyński, apud Sanctam Sedem legatus, 2 II 1922 ei tradidit, paucis temporis momentis ante, quam cardinalis ad conclave, post mortem Benedicti XV celebratum, se contulit⁷⁸. Die 6 Februarii a. 1922 Achilles Ratti, ad Petri cathedram vocatus, nomen sibi imposuit Pii XI. Obiit 13 Februarii a. 1939.

2. De scriptis ad nuntiaturam Achillis Ratti pertinentibus

Vix numerari possunt omnes libri et commentarii, in quibus ex toto vel in parte publici iuris facta sint singula scripta Achillis Ratti, vel aliqua saltem scripta ad temporis spatium pertinentia, quo Ratti munere visitatoris apostolici et nuntii in Media et Orientali Europa fungebatur (25 VI

⁷⁵ AV, Arch.Nunz.Vars. 190f.265 (cifra A. 132).

⁷⁶ AV, Arch.Nunz.Vars. 190f.2678 (cifra A./1).

⁷⁷ AV, Arch.Nunz.Vars. 193f.2678 (cifra P. 162.).

⁷⁸ Cfr. Galbiati, p. 319; V. Meysztowicz, *Gawędy o czasach i ludziach* [Confabulationes de temporibus actis et hominibus], ed. 2. Londyn 1983, p. 262.

1918 - 4 VI 1921)⁷⁹. Inter maioris momenti publicationes huiusmodi hic tamen nominari debent: liber Octavii Cavalleri, i.a. continens instructiones et relationem finalem nuntii⁸⁰, collectio Nicolai Storti, quae inscribitur *Lettere dalla Polonia di Mons. Achille Ratti*⁸¹; Stanisłai Sierpowski *Nieznanne listy nuncjusza apostolskiego w Polsce - Achillesa Rattiego z lat 1920-1921* [Epistulae ignotae nuntii apostolici in Polonia - Achillis Ratti, a. 1920-1921 datae]⁸² et *Listy bł. Jerzego Matulewicza do nuncjusza Achille Rattiego* [Epistulae beati Georgii Matulewicz ad nuntium Achillem Ratti scriptae], quarum selectionem, translationem et editionem curaverunt sac. Ioannes Bukowicz MIC et sac. Thaddaeus Górski MIC⁸³. Aliquando, cum res id postulare videtur, singulae epistulae Achillis Ratti, iam alibi divulgatae et editae, si temporis intervallum comprehendunt, de quo hic agitur, etiam in hoc volumine nostro, servato temporis ordine, annotantur vel - observatis regulis in editione nostra receptis - iterum publicantur.

Fons principalis praesentis editionis sunt scripta in Tabulario Secreto Vaticano servata, in sectione **Archivio di Mons. Achille Ratti** nuncupata, quae partem efficit Archivi Nuntiaturae Varsaviensis, ante aliquot annos Archivum Nuntiaturae Polonae appellati⁸⁴. Hic obiter notandum est tempore alterius omnium gentium belli, cum nuntius Philippus Cortesi⁸⁵ ex Polonia discessisset, Archivum Nuntiaturae Apostolicae, in quo servabantur acta visitationis apostolicae et nuntiaturae Achillis Ratti ac subsequentium nuntiorum: Laurentii Lauri (1921-1927), Francisci Marmaggi (1928-1936)⁸⁶ et Philippi Cortesi (1936-1939), in tutela fuisse secretarii nuntiaturae, sacerdotis Thaddaei Głab SDB⁸⁷. Diebus 15-17 X 1939 consiliarius nuntiaturae apostolicae Berolinensis, praelatus Carolus Colli⁸⁸,

⁷⁹ Cfr. Galbiati, op. cit., p. 336-338.

⁸⁰ Vide Cavalleri, *L'Archivio*, p. 127-211.

⁸¹ Lissone 1990.

⁸² "Życie i Myśl", 39 (1991) fasc.12, p. 48-56.

⁸³ "Ethos. Kwartalnik Instytutu Jana Pawła II KUL", 1988 fasc.1, p. 45-63.

⁸⁴ Cfr. J. Metzler, *Introduzione. 1. Il fondo archivistico*, in: Cavalleri, *L'Archivio*, p.XV-XIX.

⁸⁵ Philippus Cortesi (1876-1947). A. 1921 accepit dignitatem aepi titularis Siracensis et nominatus est primus nuntius apostolicus in Republica Venetiola, deinde a.1926-1936 fuit nuntius in Argentina. Nominatus nuntius apostolicus in Polonia 14 XII 1936, venit Varsaviam 15 V 1937. Polonia discessit 17 IX 1939 et Bucarestae substitit, unde 25 III 1940 Romam profectus est. Cfr. Wojtyśka, ANPI, p. 338-339.

⁸⁶ Franciscus Marmaggi (1876-1949). Ordinem presbyteratus suscepit a. 1900. Ab a. 1904 in Secretariatu Status laborabat. A. 1920 nominatus est aepus titularis Adrianopolitanus et nuntius apostolicus in Romania, deinde a. 1923-1925 nuntius in Cecoslovachia. A. 1935 dignitate cardinalis decoratus. Cfr. Wojtyśka, ANPI, p. 336-337.

⁸⁷ Thaddaeus Głab (1901-1944). Vota religiosa in Societate Salesiana professus est Augustae Taurinorum a. 1928. Munere secretarii nuntiaturae verisimiliter ab a. 1937 fungebatur. Die 12 VIII 1944, cum seditio Varsaviensis coorta esset, a Germanis deprehensus et supplicio capitis affectus est. Cfr. W. Jacewicz, J. Woś, *Martyrologium polskiego duchowieństwa rzymskokatolickiego pod okupacją hitlerowską w latach 1939-1945* [Martyrologium cleri Romano-catholici Poloni sub occupatione Hitleriana a. 1939-1945], Warszawa 1981, p. 136.

⁸⁸ Carolus Colli (natus 1890). A. 1924-1932 fuit secretarius nuntiaturae apostolicae Varsaviensis, annis vero 1932-1945 secretarius, deinde consiliarius nuntiaturae apostolicae Berolinensis.

erat Varsaviae et statum conservationis et securitatem tabularii nuntiaturae inspiciebat. Mense Martio a. 1940 iterum Varsaviam venit et tabularium Berolinum transportari curavit, unde in urbem Vaticanam translatum est⁸⁹.

Corpus actorum visitationis apostolicae et nuntiaturae Achillis Ratti complectitur 18 fasciculos, numeris a 190 ad 207 signatos, et sedecim circiter chartarum milia continet. Inventarium eius, ab historico et fontium editore, sacerdote Octavio Cavalleri (1934-1989), confectum, a. 1990 cura Germani Gualdo publicatum est in serie *Collectanea Archivi Vaticani* [nr] 23 sub titulo: *L'Archivio di Mons. Achille Ratti visitatore apostolico e nunzio a Varsavia (1918-1921)*.

Originalia concepta et exempla variorum scriptorum et relationum visitatoris apostolici et nuntii ad Secretariatum Status missorum, quae in hac collectione servantur, inveniuntur in **Tabulario Secreto Vaticano in sectione Secretariatus Status** et in **Archivo Historico Consilii Negotiorum Ecclesiae Publicorum**. Cum documenta illic servata adhuc ordinentur et aditus ad ea non semper sit facilis, non omnia concepta et exemplaria scriptorum Achillis Ratti, quae in hoc volumine publicantur, cum originalibus conferri potuerunt.

Peracta investigatione in tabulariis Polonis, publicis et ecclesiasticis, reperire potuimus aliquot originalia scriptorum nuntii nostri, quae in sequentibus voluminibus publicare cogitamus. Exploratio autem Mediolani, in **Bibliotheca Ambrosiana** et **Tabulario Historico Archidioecetano**, et **Desii**, in **Archivo Parochiali**, facta, speratos fructus non attulit, praeter pauca scripta, quae servato temporis ordine suis voluminibus edentur.

Quamquam edimus fontes historiam nuntiaturae Achillis Ratti illustrantes, ergo ad XX saeculum pertinentes, nihilominus, in quantum fieri potest, normis et regulis in instructione ad totam seriem editionum nostrarum *Acta Nuntiaturae Polonae* nuncupatam receptis, ab eius conditore et primo moderatore, Rev. Patre Henrico Damiano Wojtyska CP, introductis et statutis⁹⁰, obtemperare conamur. Id propterea opportunum nobis visum est, quod tomus nuntiaturam Achillis Ratti comprehendens est unus ex tomis supradictae seriei, et quod normae et regulae huiusmodi, factis exiguis mutationibus, de quibus infra, in edendis fontibus ex omnibus fere nuntiorum apostolicorum cancellariis provenientibus, ad recentiore etiam aetatem spectantibus, adhiberi et usurpari possunt.

Haec nostra editio complectitur paene omnia scripta in tabulariis as-

⁸⁹ Cfr. commercium epistularum nuntii apostolici Berolinensis, Caesaris Orsenigo, cum secretario status, card. Ludovico Maglione. *Actes et Documents du Saint Siège relatifs à la seconde guerre mondiale*, éd. P. Blet, vol 3 - *Le Saint Siège et la situation religieuse en Pologne et dans les Pays Baltes 1939-1945*, Città del Vaticano 1967, nr 33, nr 123, nr 130.

⁹⁰ Cfr. *Instructio*, in: *Acta Nuntiaturae Polonae*, moderatore H. D. Wojtyska CP, T. 1, Romae 1990, p. 187-189.

servata, ad missionem Achillis Ratti in Media et Orientali Europa expletam attinentia. Imprimis vero publicatur totum epistularum commercium publicum, epistularum inquam, quae vel in cancellariam visitationis (nuntiaturae) apostolicae perveniebant, vel ex ea foras mittebantur. Publicantur quoque documenta, ad res ecclesiasticas vel eas, quibus Ratti ipse implicitus erat, pertinentia, ergo etiam privatum litterarum commercium, quod in actis nuntiaturae conservatum est. Quod attinet ad formam fontium hic publicatorum, praeter litterarum commercium distinguere etiam possunt varii memoriales libelli, breviores vel longiores relationes aliaque id genus scripta, quae - non exclusis translationibus - ad usum nuntii et nuntiaturae apparabantur. Quae propterea hic etiam publicare placuit, quod per ea nuntius fere semper edocebatur de statu rerum politicarum, socialium, ecclesiasticarum regionis, in quam se conferre cogitabat vel Sedem Apostolicam de ea certiore facere volebat⁹¹. Praeterea eiusmodi scripta testantur, quam accurate et diligenter nuntius se praeparare consueverit, antequam in re aliqua consilium caperet vel sententiam de ea diceret.

Singula documenta, ordine chronologico disposita, littera N. et numero consequenti signata sunt. Reliqua scripta, ex cancellaria visitationis vel nuntiaturae apostolicae quidem non profecta, sed historiam publicam et ecclesiasticam Poloniae sensu lato intellectam quodammodo illustrantia et ad eam utcumque pertinentia, in altera voluminis parte, cui titulus **Appendices**, collocantur et, similiter servato temporis ordine disposita, littera A. cum sequenti numero signantur. Itaque in hoc praesenti volumine, in secunda eius parte, consulto publicatur sat magnus numerus documentorum, ad nominationem Achillis Ratti in visitatorem apostolicum et ad eius adventum Varsaviam spectantium. Id, quod singula documenta textus principalis cum singulis appendicibus coniungit, in notis significantur sub textu positae. Fontes proprie dicti publicantur una cum scriptis adiunctis, quae a fonte separantur verbo: **Annexum**, in sinistra parte paginae sub textu principali posito. Si scripta litteris annexa plura sunt quam unum, tunc numeris Arabicis signantur (Annexum n. 1: Annexum n. 2: etc.). Scripta, quae aliis documentis annexa fuisse certo conici potest, sed documentum, cui adiuncta essent, reperiri vel certo stabiliri non potuit, in secunda voluminis parte sub numero separato publicantur.

Non publicantur autem articuli, nuntii, commentationes et nova, in ephemeridibus seu actis diurnis divulgata, etiamsi ad usum nuntii in linguam Italicam conversa sint. Omittuntur etiam parvi momenti litterae privatae personarum obiter occurrentium, quae inter documenta hic publicata sparsae inveniuntur. Si tamen eiusmodi epistolae aliquid contineant, quod res in volumine tractatas quodammodo illustrare possit, tum in se-

⁹¹ Vide ex. gr. annexum ad N. 19, N. 49, N. 50, N. 59, N. 69, A. 19, A. 21, A. 32, A. 43.

cunda parte voluminis collocantur, vide ex. gr. A. 34. Si aliquod scriptum nihil habeat, in quod historiae studiosi animum intendant, tum tantum eius summarium vel brevis significatio in "regeſto" documenti ponitur. Separatim, in **Tabulas** congeſta, publicantur ſcripta, quibus expetebantur conceſſiones gratiarum et privilegiorum, vel quae ad quaestionem perſonarum ſpectabant. Similibus caſibus aliquot ſcripta ex toto publicata ſunt, vide ex. gr. N. 22, N. 67, N. 71.

In hac editione, cum verba breviate vel contracta reſolvimus, ſyllabas vel litteras, quae deſiderantur, in parentheſi quadrata non ſcribimus, niſi dubium oriatur de eorum ſignificatione. Subſcriptiones auctorum, etiamſi in fonte non completae ſunt, integre adducimus. Annotationes ab auctoribus documentorum factae in parentheſi ſemirotunda ſcribuntur et in calce ſcripti, ante notas editoris ſub textu poſitas, collocantur. Numeratio foliorum tum ſolummodo introducitur, ſi textus longiores ſunt (ſi ſcilicet fons documenti pluribus quam decem paginis conſtat). Cum agitur de telegrammatibus notulis ſecretis ſeu in cifra exaratis, publicatur textus "decifratuſ" aut conceptum ad tranſcribendum notis arcanis praeparatum, indicato etiam loco, ubi originale aſſervatur. Textus in ea forma et ea lingua publicantur, qua ad nuntium pervenerunt. Cum eveniret, ut duo exempla eiſdem ſcripti acciperet, unum lingua Polonica, alterum peregrina compoſitum, plerumque exemplar lingua peregrina exaratum ad publicandum eligitur. Si exemplar peregrinum magna ex parte deletum eſt, ita ut legi vix poſſit, tum publicatur illud, quod Polonice eſt concinnatum. Si in fonte aliqua verba deſunt, aut loci aliqui tam deleti ſunt, ut omnino legi nequeant, id quinque punctis ſignatur in parentheſi quadrata poſitis. Loci ab editore omiſſi ſignificantur binis lineis rectis in parentheſi quadrata ad libellam exaratis. In annotationibus editoris, ad perſonas in textu occurrentes pertinentibus, datur ex ſolito brevis informatio de annis vitae et mortis et de officiis ac muneribus, quibus unusquiſque fungebatur. Sed et hoc, cum praesertim de perſonis minus notis agitur, non ſemper fieri potuit.

Stanislaus Wilk SDB

Latine vertit Lucianus Olech